DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

ENTERITIDE.

AUCTORE JOANNE GAIRDNER.

QUAEDAM PRAEFANDA.

Morbus, quem selegi hujusce disputationis argumento, cruciatum tam acutum moliri solet, et saepe ad exitum funestum tam velociter festinat, ut sedulissimum medicorum studium excitare debeat. Ideoque per omnia secula, peritissimorum investigationi subjectus est, et pleraque ejus signa, inspiciendo mortuorum cadavera, tam luculenter explicita sunt, ut in hujuscemodi disputatione nihil novi expectan-

[Edinburgh: Abernethy & Walker. 1811.]



dum sit. Itaque, hoc opusculo, ad honores medicos obtinendos spectante, solum mihimet proposui, concisam, et quantum potero, accuratam, Enteritidis historiam tradere; et ex variis remediis, ea, et eam curationem, quae, me judice, ad eventum fatalem praecavendum, et ad morbum sanandum, plurimum operae conferre videantur, ostendere.

In celeberrimi Culleni Nosologia, Enteritis genus est, cui subjiciuntur duae species, *Phlegmonodea* nempe, et *Erythematica*; natura, signis, et ratione medendi, multum inter se dissidentes. Prior species, de qua nunc pauca dicere in animo est, multo periculosior, ideoque magis est momentosa; et ad hanc praesertim pertinet praeclari illius nosologi definitio.

"Pyrexia typhodes; dolor abdominis pun-
"gens, tendens, circa umbilicum torquens;
"vomitus; alvus pertinaciter adstricta."

De Enteritide Erythematica non hic loci disserendum, quia a phlegmonodea naturam ejus alienissima est, et minus recte, forsan, sub eodem genere collocatur; vel saltem cum signis in descriptione jam memorata traditis non congruit.

CAPUT I.

HISTORIA MORBI.

De signis.—Nulla hoc morbo aetas immunis esse videtur, sed maxime adultos, et rarius infantes et impuberes adoritur. Ubique terrarum

et singulis anni tempestatibus occurrit; sed in regionibus frigidis saepius quam aestuosis, et hyeme saepius quam aestate. Nonnunquam citissime aegrum e medio tollit, et, monente Heberdeno, " alios secundo die, alios non nisi " decimo quarto, occidit *."

Praegrediuntur plerumque colica, et alvus adstricta, et aeger, ad dolorem cruciantem sublevandum, haud raro liquoris meracioris cyathum haurit. Hinc morbus initio spasmodicus, inflammatione saepe immedicabili mutatur.

Incipit ex dolore alicujus abdominis partis, saepius vero circa umbilicum, quia ibi sita est major pars intestini jejuni et ilii, quae huic morbo sunt praesertim obnoxia. Dolor tensione et sensu torsionis stipatur, et compres-

---

* Heberdeni Commentarii de morborum historia et curatione, cap. li. p. 220.

sione facta, alte inspirando, tussiendo, et corpore erecto, augetur. Corpus itaque plerumque inclinatur, quo abdominis musculi laxi habeantur, neque partes affectae pressurae tam molestae subjiciantur.

Alvus pertinaciter adstringitur, et medicamentis acerrimis saepe resistit. Dolor signa febris plerumque antecedit; sed serius ocyus, horror, et postea calor, aliaque pyrexiae indicia, invadunt. Pulsus arteriarum exilis est et contractus, plerumque durus, aliquando mollis, fere semper justo celerior. Os et fauces inarescunt. Lingua albescit. Cutis sicca incalescit. Urina parca, rufa, et redditu difficilis est. Minuuntur aut omnino supprimuntur secernenda et excernenda omnia, quia vasa extrema *spasmate* febris proprio afficiuntur. Aeger crebrius spirat, quia dolor septi transversi descensu magnopere augetur, ideoque haud plene et perfecte pectus ampliari potest.

Progrediente morbo, ventriculi, omniumque intestinorum functiones multum turbantur. Ventriculus valde irritabilis, ingesta omnia statim respuit, et si vomitus, ineunte morbo, incipiat, medicamentis adhibendis, ideoque morbo sanando, multum obstat. Motu tandem fibrarum intestini inverso, bilis, et postea stercus ipsum evomuntur. Medicamina etiam in intestinum rectum, ad dejectionem moliendam infusa, nonnunquam evomuntur *. In his casibus, qui rarius occurrunt, valvulam coli, aut ruptam, aut ab origine non integram fuisse, necesse est. Paulo ante fatum, tumor abdominis, istiusmodi ut tactus adinstar tympani sonet, flatu multo genito, intestinisque resolutis, enascitur.

Quamvis febris tam acuta hunc morbum comitatur, sensorii functiones raro turbantur †,

---

* Vide Sydenhamum de morbis acutis, cap. vii.—Vide etiam Heberdeni Comment. p. 221.

† Vide Heberdeni Comment. p, 222.

nisi gangraena superveniente; quando delirium aut stupor mortem interdum antecedit.

Haec signa Enteritidem Acutam constituunt; sed interdum aliquanto obscurius notatur haec inflammatio. Totum decursum explet, et in gangraenam etiam ruit, fere nullis ex jam memoratis morbi signis urgentibus *. Solicitudo et anxietas, potius quam dolor, sentiuntur. Nec aegrotus ipse nec ejus amici lethalem eventum metuunt, et medicus ipse saepe decipitur, quia fere nulla ad morbum dijudicandum satis perspicua indicia observantur †.

Morgagnius dicit Albertinum sibi percontanti quibus signis hunc affectum dignoscere,

---

* Vide Dr John Gregory's Elements of the Practice of Physic, p. 174. Vide etiam Sir John Pringle on the Diseases of the Army, p. 160.

† Nescio an hujusmodi affectus verum exemplum sit morbus foeminae a Doctore Francisco Home apud Medical Facts and Experiments, p. 122 enarratus; sane ita suspicor: judicent vero peritiores.

et instans periculum praenunciare possemus, ita respondisse. " Ex pulsu, abdomine, et facie.
" Pulsus enim humilis et debilis potius, et qui,
" si bene attendas, sibi subobscure dissimilis
" sit: abdomen autem tensum, et durum, et
" cum dolore quodam: facies denique insoliti
" aliquid, sed in aliis aliud, ostendens, ut in-
" terdum oculos quasi exterrefactos, alias li-
" vorem quendam circum labra, animadver-
" terim; haec fere; nam aliquando linguam
" etiam adnotavi haud bene se habentem, et
" quamdam sitim; mihi accidit, ut in ejusmo-
" di casibus se observanda praebuerint." Et Morgagnius ipse affirmat hanc descriptionem ex propria sua experientia fuisse comprobatam *.

Mihi verisimile apparet, intestina, in hisce casibus, aut sentiendi facultate, e morbis praegressis, fere privata esse, aut a prima corporis

---

* Morgagnius de sedibus et causis morborum, epist. xxxv, sect. 21.

constitutione ea fere omnino carere, dum eadem aeque ac in caeteris hominibus irritabilia sunt, imo etiam irritabiliora; irritatio enim, quam facessit medicamentum datum, alvo leniter solvendae idoneum, talem morbum excitare satis polluit.

De finibus.—Ut aliae inflammationes, enteritis, ob varios corporis habitus, variumque morbi impetum, aliis alios habet eventus; de quibus nunc pauca dicere oportet.

1. Horum primus, nempe *resolutio,* est maxime optandus; quae plerisque exemplis, si idonea remedia tempestive adhibeantur, effici potest. Resolutio nonnunquam sua sponte evenit, alvi fluxu praenuncio; sed hoc rarius accidit, et nequaquam expectandum est. Talem eventum haecce denunciant signa:—alvus plenissime soluta; stercora dura, concreta, dejecta; dolor magnopere levatus, neque vero penitus sublatus; pyrexia mitior; arteriarum mo-

tus tranquilliores; et cutis faciesque magis naturales. Praeter haec, corpus nunc erectum sine dolore haberi potest; nausea et vomitus cessant; et cibi potionisque appetentia revertit.

2. Enteritis haud crebro in *apostema* desinit. Quum hebdomadam diutiusve protrahitur, sine ulla, aut ad resolutionem, aut ad gangraenam, proclivitate manifesta, metuendus est abscessus inter intestini tunicas. Quem tandem factum esse suspicari debemus, si ex urina rufum instar furfuris et copiosum descendit, et aeger accessionibus febris hecticae vespertinis, sudoribus nocturnis, et aliis istiusmodi malis, vexatur. Abscessus inter intestinorum tunicas periculum haud parvum semper minitatur, praesertim si in peritonaei cavum pus inde effunditur, aut si hecticam gravem diuturnamque inducit. Si pus in intestinum profunditur, multo minus metuendum; ideoque, quo eventum praesagire possimus, dejectiones inspicere mul-

tum prodest; quod sane minime praetermittendum est.

3. In hoc morbo *gangraena* est maxime metuenda; nam partes affectae ad vitam sunt apprime necessariae, et ad hunc exitum valde proclives. Si post duos aut tres dies signa non mitescunt, imo si potius ingravescunt, et si alvus medicamentis fortissimis haud liquatur, gangraenam intestini timere debemus. Et cum dolor subito omnino conquiescit, cum sudor frigidus et copiosus erumpit, et totum corpus obtegit, cum arteriarum pulsus multo imbecilliores crebrioresque evadunt, atque aliae obveniunt debilitatis notae, gangraenam supervenisse, et quendam progressum fecisse, judicamus. Alvus quam antehac nulla remedia movere poterant, nunc saepe graviter fluit. Aegrotus in tantum cruciatu expeditur, ut salutem cito redituram expectet; et amici etiam vana spe interdum falluntur. Sed de vita, rebus ita se habentibus, desperandum est; et cito

singultus, musculorum contractiones abnormes, tendinum subsultus, vultus pallescens et collapsus, et labia palpebraeque liventes, mortem celeriter affuturam plane denunciant.

Sed quamvis in hoc morbo gangraena fere semper ad mortem perducat, tamen natura, mirandis modis, sanationem aliquando efficit. In enteritide, hernia strangulata exoriente, parte intestini protrusa gangraenosa, aut ex ipsa natura, aut ex arte vulnerarii, sublata, ostium intestini superius, nunc cum inferiore, nunc cum hiatu externo, firmiter committitur. Hic aeger miseram vitam degere cogitur, cujus molestiae eum taedet: illic autem, ad sanitatem integram reducitur *. In enteritide etiam, intususceptione nata, post gangraenam, sanationem nonnunquam natura efficit, parte quae

* Vide Cooper on Hernia, part i, chap. xi.—Vide etiam Mémoïre sur la réunion de l'intestin, &c. par M. Pipelet l'ainé, apud Mémoires de l'Academie de Chirurgie, tom. iv, p. 164.

implicita fuerat mortua, et cum stercore dejecta, et intestini oribus cohaerentibus *.

4. *Scirrhus*, quum enteritidem sequitur, rarius signa praebet, ad accurate dijudicandum satis conspicua. Aeger dolorem levem cujus-

---

* Doctor Sandenus apud Annals of Medicine, vol. i, Lustrum ii, exemplum enteritidis ab intususceptione profectae enarravit, in quo, aegrotus ex alvo pollices duodecim intestini tenuioris depulit, et valetudinem prorsus recepit. Dominus Hevinus, etiam, apud Mémoires de l'Academie de Chirurgie, tom. iv, p. 215—222, tria similia exempla retulit, apud quorum duo priora morbus in sanitatem integram desiit. Aeger primus tres et viginti pollices intestini coli dejecit, secundus portionem intestini viginti pollices, et alteram circiter octo pollices longam: tertius vero, qui duabus hebdomadis moriebatur, omne intestinum caecum, cum sex digitis coli, et pari portione ilii, dejecit. Hae omnes praeparationes ad Academiam Regiam Chirurgiae Parisiensem delatae sunt.

Alia ejusdem generis exempla inveniuntur apud Medical Commentaries, Decade I, vol. ix, p. 278; apud Medical and Surgical Transactions, vol. ii, art. 10; et apud Physical and Literary Essays, vol. ii, art. 27, NO. 14, et omnia satis bene confirmantur. Sed plerique aegrorum, quorum in his locis traduntur historiae, morbo inveterascente, brevi postea moriebantur, etiamsi intestini ostia firmiter commissa, et functiones ejus, pro tempore, ex parte saltem restitutae fuerunt.

vis abdominis partis saepe patitur, et signis concoctionis pravae ciborum, inflatione, scilicet, ructu, aliisque ab intestinorum abnormi actione orientibus, vexatur. Haec mala saepe diu perstant, sed tandem ad exitum funestum plerumque tendunt.

In historia jam proposita, signa praecipua, ut potui, exponere tentavi, ideoque nihil mihi nunc restat de eorum ratione dicendum. A proposito etiam alienum existimo, aliquid de inflammationis ratione hoc loco tradere.

CAPUT II.

DE VITIIS, QUAE, PATEFACTO ABDOMINE, INSPICIUNTUR.

Haec alia atque alia sunt, prout desierit morbus. Sequentia tamen frequentissime reperiuntur. Aliqua pars intestinorum, et saepius jejuni aut ilii, nigra, sphacelo corrupta, et plerumque stercore distenta, observatur. Facillime manu dilaceratur, et tunica extima, prius validissima, nunc omnium est tenerrima. Supra et infra partem gangraenosam intestinum rubrum, et mesenterii vasa turgida apparent. Intestina sibi invicem, peritonaeo, omento, et partibus aliis vicinis, fibrina effusa adhaerescunt. Hernia, intususceptio, et volvulus, saepe occurrunt. In memorabili exemplo, a praeclaro Monroio

enarrato, appendix vermiformis caeci, circa portionem ilii convoluta, strangulationem produxerat *. Intestina aëre multo distendi solent, qui odorem pessimum emittit. Tunicae saepe variis partibus contrahuntur et indurantur.

CAPUT III.

DE CAUSIS PRAEDISPONENTIBUS.

Quamvis hae, nec numero, nec vi, aeque pollent atque causae excitantes, tamen earum aliquae memoratu sunt dignae. Plenitudo corporis et diathesis phlogistica multum praedisponunt. Hinc homines operarii constitutione

* Vide Edin. Physical and Literary Essays, vol. ii, art. 27.

corporis vegeta et robusta, et temperamento sanguineo praediti, saepe hoc morbo vexantur.

Ad hunc locum etiam pertinent omnia quae alvum astringunt. Hujusmodi sunt: imminuta excretio a ductibus quae in intestina suos humores effundunt, et praesertim non satis copiosa bilis secretio; cibi concoctu difficiles; victus ex carnibus; fibrae intestini justo imbecilliores; ebrietas frequens et consueta; et hernia. Haec omnia functiones intestinorum plus minusve perturbant, et quoniam senes plerisque eorum sint maxime opportuni, aetas itaque provectior inter causas praedisponentes jure enumeratur.

Qui antea hunc morbum experti sunt, ad ejus recursum certe sunt propensiores, praesertim si in scirrhum desierit; et qui dysenteria prius laborarunt, ad enteritidem etiam valde sunt proclives.

CAPUT IV.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Pleraeque ex his inprimis colicam inferunt, quae enteritidem antecedere solet. Hoc modo mihi agere apparent quae sequuntur, nempe, intestinum ingestis solidis aut liquidis nimis distentum, aut stercore indurato aut acri infarctum; plumbum intus acceptum; corpora dura extranea, ut cerasorum aliorumque fructuum acini *, in ventriculum per incuriam introducti, et postea inter descendendum impediti, praesertim ad valvulam Tulpii; nam ibi, propter canalis augustias, saepius retinentur; calculi ductibus bilis inhaerentes; vehemens

* Vide Swietenii Commentarios in Boerhaavii aphorism. 977.

in parturientibus irritatio; animi affectus; et subitae caloris et frigoris mutationes.

Consensus mirandus inter intestina et artus inferiores obtinere videtur. Hinc diarrhoea et colica a pedibus madefactis oriuntur; hinc alvus, quum nullo alio modo moveri potest, aqua frigida cruribus pedibusque subito affusa, illico descendit; hinc surarum dolores et spasmi a cholera aliisque intestinorum morbis proveniunt; hinc porro frigus, extremis inferioribus diu admotum, saepe enteritidem excitavisse observatum est. Hujus consensus rationem reddere minime conabor, quandoquidem ex obscuris generis nervosi legibus, quae adhuc omnes scrutatores devicerunt, pendere videtur.

Haec omnia colicam primo inducunt: sed aliae sunt causae excitantes quae non hoc modo agere apparent; ut quae sequuntur, nempe, cibus nimis acer vel aromatis acrioribus conditus; liquores meraciores aut non diluti aut

nimis copiose assumpti; alvi purgantia fortiora intempestive exhibita; viscerum vicinorum inflammatio; venena acria, ut oxidum arsenici vel murias hydrargyri, aut errore aut scelere recepta; et intestinorum a volvulo et hernia strangulatio.

CAPUT V.

DE DIAGNOSI.

Morbi cum quibus enteritis saepius confundi potest, sunt, inflammationes aliorum viscerum abdominis propriae, dysenteria, et variae species colicae.

In enteritide erythematica, omnia indicia multo sunt mitiora, et alvus nunquam astringi-

tur, imo etiam graviter fluit. Hypochondrii sinistri calor, dolor, tumor, et tensio, splenitidem, et signa fere eadem in jecinoris regione, cum dolore ad summum humeri dextri pertinente, et decubitu in latus sinistrum difficili, hepatitidem, satis distinguunt. Gastritis situ doloris, ventriculo magis irritabili, et vomitu citius superveniente, dignoscitur; et nephritis cruris stupore, testis retractione, et urina parum naturali crebrius reddita. Peritonitis gravior aut levior cum hisce omnibus fere consociatur. Quoties per se occurrit, alvus, quanquam astricta, medicamentis citius forsan, et facilius liquatur. Hic vero discernere posse non multum prodest, quoniam utraque inflammatio eandem fere medendi rationem desiderat.

Quinetiam recte ut opinor perhiberi potest, omnes inflammationes aut acriter scrutando et notando quas potissimum functiones singulae laedant, aut quibus sedibus tumor et dolor sub-

sint, aut haec simul perspiciendo, non difficulter ex ea de qua agitur, discerni posse.

Dysenteria nullo dolore fixo, sed tenesmo, et dejectionibus mucosis et cruentis, insignitur. Unde facile ab enteritide dignoscitur.

In colica, permagni interest accurate dijudicare posse, quod tamen saepe haud facile perficitur. Pulsus arteriarum inprimis est notandus. In enteritide arteriae multo crebrius micant, et adsunt rigores aliaque indicia pyrexiae; sed in colica, etiamsi arteriae saepe concitantur, propter dolorem et irritationem vehementem, tamen non adsunt horror, et calor auctus, qui enteritidi fere semper contingunt. In colica etiam, dolor, ventre presso, levatur, sed in enteritide, dolor tactu multum augetur. Quibus perpensis, hi morbi, ut opinor, in plerisque exemplis, satis accurate invicem distingui possunt. Si cui vero dubitationi adhuc locus

sit, melius et tutius erit perinde curare morbum quasi enteritis procul dubio esset.

CAPUT VI.

DE PROGNOSI.

Hucusque proposito absoluto, restat ut ea indicem, quae spem aut metum incutere possint: hic autem nihil aliud fere habeo, quam ut ad ea, quae supra de hujus morbi finibus retuli, spectarem. Ibi indicia notavi, per quae singuli ejus fines cognosci possunt.

De una re tantum pauca nunc dicere fusius oportet, nempe de judicio ex alvi solutione formando. Stercoris duri copiosa dejectio, aut faustum aut infaustissimum signum erit. Faus-

tum est, quoties mature occurrit; quum cruciatus valde levatur, sed non omnino cessat, perstante dolore quodam levi, et quum comitantur pulsus, lingua, et facies, magis naturales. Idem vero signum infaustum est, si non accidit nisi postquam signa pyrexiae diutius commorata sunt, si arteriarum pulsus debilissimi fiunt, et abnormes et vix numerandi, si anima foetet, et, denique, si adsunt facies pallida et extenuata, lingua sordida, et venter aëre tumidus.

CAPUT VII.

DE MEDENDI RATIONE.

In hujusce morbi curatione, permulti interest resolutionem quamprimum efficere. Causae

quae inflammationem excitant, et quas tollere est praecipuum medendi consilium, sunt, vasorum plenitudo, diathesis phlogistica, atque intestini obstructio et irritatio.

Si aegrotus juvenis sit, et pleni et vegeti corporis, et si urgent dolor crucians, et pyrexia vehemens, sanguinis detractio copiosa et libera multum juvabit. Vena incisa, dolor, aliaque signa magnopere levantur. Pulsus statim postea, imo etiamve sanguine jam profluente, plenior fit et tardior, et sanguinem crusta albida glutinosa obtegit. Si postea, signa haud satis mitescere coeperint, aut si pro tempore levantur, et denuo ingravescunt, vena iterum incidenda est ; et quod ad sanguinis quantitatem attinet, e signorum violentia, et praecipue pulsus conditione, et sanguinis aspectu, judicandum est. Sed in hac re, multa ex medici ipsius judicio et experientia pendent. Sanguinis circa partem affectam detractio, ni fallor, haud multum prodest, quia integumenta abdominis, et vis-

cera interna, per vasa invicem discreta, neque omnino inter se sociata, nutriuntur; ideoque nulla derivatio a vasis internis, ad externa, evenire potest.

In hoc morbo, quae alvum purgant, ut opinor, remedia sunt utilissima. Contra, nonnulli sentiunt, haec remedia sanguinis cursum ad partes affectas impellere, ideoque omnia ejusmodi praetermittunt, et in sanguinis detractione, alvi ductione, et auxiliis extrinsecus admotis, omnem fiduciam ponunt *. Sed ab hac opinione multis de causis dissidere cogor. *Primo* enim, etiamsi pro tempore impetus sanguinis ad partes affectas augeatur, obstructione tamen intestini, quae praecipua causa excitans fuit, per alvi purgationem, amota, primi isti effectus cito evanescant, necesse est. *Secundo*, hac causa sublata, fluxus humorum ab intestini ipsius vasis excernentibus, haud parum ad arterias de-

* Vide Boerhaavii de cognoscendis et curandis morbis, aphorismos 964 et 965.

plendas, valebit. *Tertio*, alvi purgantia in hoc morbo juvare magis adhuc confirmatur, per bene cognitam eorum utilitatem in variis intestinorum morbis huic similibus, quales sunt, dysenteria, et pleraeque colicae species *. Et denique, eadem curatio non solum ex mea propria circumscripta observatione, sed ex testimonio multorum auctorum qui de medicina practica scripserunt †, et ex praelectionibus quas ab eximiis medicinae professoribus in hac alma academia audivi, sustentatur. Sed antea per medicamenta leniora alvus solicitari debet, quam ad acriora confugimus.

Si aegroti corpus aut natura infirmum, aut praegressis morbis debilitatum fuerit, et si morbus haud longe progressus fuerit, potius erit

---

* Vide Sydenhamum de morbis acutis, cap. iii et vii.

† Vide Heberdeni Commentarios, cap. li, p. 224 et 225. —Wilson on Febrile Diseases, chap. xiv, sect. 3.—Sir John Pringle on the Diseases of the Army, p. 156.—Et Aulum Cornelium Celsum de Medicina, lib. iv, cap. xiii, ubi alvi purgationem suadet, dummodo malum infra umbilicum situm sit.

statim alvum medicamento movere, et effectus ejus paulisper expectare quam illico sanguinem detrahere: nam si hoc modo morbus sanari potest, aegroti vires minime tantum erunt redactae.

Nonnunquam bene conveniunt sales medii, aqua soluti, et in portionibus exiguis saepe iteratis; aut oleum e seminibus ricini communis ad unciam unam partitis vicibus. Si vero, his adhibitis, alvus non descendit, aut si talia vomitu rejiciuntur, ad remedia fortiora confugiendum est: qualia sunt, radix convolvuli jalapae, aut pilulae ex aloë et submuriate hydrargyri, aut pilulae aloës cum colocynthide, quales apud Pharmacopoeiam Edinensem traduntur. Infusum tamarindi Indicae cum cassia senna est eximium remedium, et cum omnia fere alia nauseam et vomitum excitaverint, saepe retinetur.

Haud parvum impedimentum quod ad alvi

purgantium usum, a ventriculo adeo irritabili crebro provenit. In talibus exemplis, opium hisce medicamentis junctum saepe vomitum sedat. " Opii beneficio," ait Heberdenus *, " prospere dedi medicamenta, et plura, et va-" lentiora, quam sine illo ventriculus tulisset." Sed semper caute utendum est, nam alvum magis astringat oportet, si nimis libere adhibeatur. Forsan hyoscyamus niger opio anteponendus est, quia alvum solvere, potius quam astringere, videtur.

Alvum etiam ducere, liquoribus in imum intestinum infusis, felicissimo est auxilio. *Enemata* maxime sunt utilia, quoties pars intestini crassioris inflammatur; sed in aliis etiam exemplis, actionem peristalticam omnium intestinorum excitare videntur. Ad hoc propositum exsequendum bene convenit infusum foliorum

* Heberdeni Commentarios, p. 227.—Vide etiam Meadii Monita et Praecepta Medica, cap. vii, sect. 2.

cassiae sennae cum sulphate sodae. Multum laudatum est infusum aut decoctum foliorum nicotianae tabaci, sed hoc non nisi aliis infauste tentatis experiendum est, nam saepe nauseam et vomitum excitat. Aquae tepidae librae octo vel novem, aut amplius aut minus, nonnunquam injectae sunt; sed haec curatio non digna est quam imitemur, nam rectum et colon ultra debitum implentur, et valvula caeci etiam inde dirumpi potest: librae quatuor, autem, tuto et prospere injiciuntur, et fomenti interni munere perfungi possunt.

Ad alvi solutioni favendum, adhibentur varia remedia externa; quorum praecipua sunt vesicatoria, frictio, tepidarium, et fotus calidus.

Vesicatoria ex multorum auctorum testimonio in hoc morbo praepollent *. Sed alia re-

* Vide Sir John Pringle on the Diseases of the Army, p. 155.—Wilson on Febrile Diseases, chap. xiv, sect. 3.—Heberdeni Commentarios, p. 224, &c.

media parti dolenti prius sunt admovenda, quae postea non tam facile adhiberi possunt. Minime manifestum est, qua ratione vesicatoria morbum discutiunt. Fortasse intestinum excitant, et efficiunt ut eas sordes, quibus oneratur, propellat, et tandem ejiciat. Sed mihi magis verisimile apparet, ea vim quandam spasmum solvendi habere, et cutem externam irritando, intestinum minus irritabile facere. Sed haec omnino sunt hypothetica. Certum est, ea non uti exinanientia partis cui adhibentur agere posse, ob causam quam supra memoravi, quum de sanguinis detractione e parte ipsa disserui *.

Nisi abdomen, ob dolorem acutum, pressuram omnino refugit, frictio partis dolentis, primo lenior, postea firmior, interna remedia multum juvat. Frictio aut panno laneo calefacto, aut medicamentis quibusdam interpositis, per-

---

* Vide p. 25 supra.

ficitur. Huic usui bene inserviunt, oleum camphoratum, tinctura saponis et opii, linimenta ex ammonia, aliaque rubefacientia.

Dolor et spasmi intestinorum tepidario saepe multum leniuntur. In forma semicupii balneum satis commode adhibetur. Pannus laneus etiam aqua calida madefactus, et postea valide compressus, ventri quam calidissimus, dummodo aeger ferre potest, applicandus est; et certe hoc modo cruciatus magnopere sublevatur.

Aqua frigida artubus inferioribus subito affusa, quum omnia fere alia nullum levamen attulerint, alvi solutionem aliquando molitur: sed non nisi solitis auxiliis infauste datis, tentandum est hoc remedium*.

---

* Vide Burserii Institutiones Medicinae Practicae, tom. iv, pars 2, cap. viii, § 113.—Vide etiam Homei Principia Medicinae, pars 3, § 15, 8; et Gregorii Conspectum Medicinae Theoreticae, NO. 1447.

Si hernia strangulata morbus nascitur, intestinum, aut manu aut scalpello auxiliante, reducendum est, priusquam morbi sanationem sperare possumus.

Plures haud parvi nominis medici, argentum vivum in hoc morbo praeceperunt, eo consilio ut obstructionem tollant. Eruditissimus Meadius in Monitis et Praeceptis Medicis *, haec habet verba: "His si nihil proficiatur," venaesectione, nempe, et catharticis, "argentum "vivum bibendum praebere opportunum erit, "quod quidem duplicem hic usum praestat; "partim pondere suo inversum intestinorum "motum restituendo, partimque lubricitate "excrementa alvum opplentia emolliendo, et "deorsum propellendo." De Haen, etiam, tam ex propria sua experientia, quam ex alio-

* Loco citato.

rum auctorum testimonio, hoc remedium multum laudavit *.

Dignum est notatu, argentum vivum transire per intestina etiamsi invertatur actio peristaltica, et quanquam, ob intestina adeo implicita et anfractuosa, difficile est intellectu qua lege res tanti ponderis ea permearet †. Nihilominus vero, hoc anceps est remedium, et hodie rarius quam olim datur: nonnunquam etiam intestinum dirupit, ut Burserius asseverat ‡: in rebus angustis, igitur, solum est tentandum.

Si aeger revalescat, ne malum redeat, cavendum est. Victus, qui satis nutriat, sed parum stimulet, ut e lacte et frugibus, est utendus;

---

* Vide De Haen, rationem medendi in nosocomio Vindoboniensi, tom. iii, cap. xv, sect. 3, 4 et 5.

† Vide Brown, Edinburgh Medical Commentaries, Decade ii, vol. viii, p. 351.

‡ Vide Burserii Institutiones, tom. iv, pars 2, cap. viii, § 112.

causae remotae sunt evitandae, et praecipue ea, quae malum primo induxisse comperitur.

Quum supervenit suppuratio, haud multum valent ulla medicamina. Omnia irritantia sunt evitanda, et cibus e media materia est adhibendus. Si alvus praeter modum fluit, opio et astringentibus continenda est. Natura interdum sanationem efficit, et pus cum stercore dejicitur.

Scirrhus intestinorum forsan levandus est, conio maculato, solutione arsenitis potassae, et aliis ejusmodi remediis intus acceptis, quae in scirrho partium externarum praecipi solent.

FINIS.